

servat ex dilectione mea. Tum etiam, quia signum debet esse externum et visibile, præsertim cum refertur ad alios, quale est hoc, de quo Dominus dicit: In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si delectationem habueritis ad invicem. Ubi per dilectionem, intelligit opera externa, quæ ab hominibus videri possunt, non internum affectum, qui videri non potest, nisi in suo effectu. Observatio igitur omnium præceptorum moralium, secundum substantiam operis, necessario cum dilectione proximi et Dei conjuncta est, ac per hoc, secundum Scripturas, viribus solius naturæ, nullo modo haberi potest.

Probatum hoc idem ex traditione Ecclesiæ. Synodus Milevitana canon. 5. « Item placuit, inquit, ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tamquam, et si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa divina implere mandata, anathema sit. »

Synodus Arausicana can. ult. cum docet, hominem baptizatum posse, si velit, Dei gratiæ cooperari, divina implere præcepta, intelligitur etiam locuisse, non posse hominem, sine gratia, suis solis viribus idem præstare.

Innocentius I. in epist. ad Concilium Milevitanum, quæ est apud Augustinum epist. 93. « Negantes, inquit, auxilium Dei, hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina affirmant, qua privatus, necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata sola libertate contendat. »

Celestinus I. in epist. ad Gallos idem confirmat adducens testimonia Innocentii et Zozimi prædecessorum suorum cap. 9 et 10.

S. Augustinus lib. II. de peccatorum meritis et remiss. cap. 5. « Justitiæ, inquit, præcepta omni ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur a Deo. » Idem etiam docet in toto libro de spiritu et littera, et in toto fere libro de natura et gratia, et in libro de perfectione justitiæ, et in epist. 89. quæst. 2. epist. 95. 105. 106. 120. 144. 200. et alibi passim.

Probatum ultimo ratione S. Thomæ, quoniam natura humana, per peccatum primi hominis depravata, aversa est a Deo, et con-

versa ad creaturas, ac præsertim ad se: proinde finem ultimum, vel actum, vel habitum, vel certe propensione quadam in creatura, non in Deo constitutum habet. Quare quando occurrunt aliqua agenda vel evitanda ex fine illo præconcepto, quasi naturaliter inclinatur ad malum, et violenter ad bonum, et ideo necessaria est vis quædam, et ut homo perpetuo vigilet, et præmeditetur, et contra propensionem amoris proprii pugnet, quod impossibile esse moraliter, non solum ratio, sed etiam experientia docet. Et si S. Augustinus in libro de correptione et gratia cap. 12. affirmat, ipsum etiam hominem justificatum, nisi is divina gratia indeclinabiliter et inseparabiliter ageretur ob naturæ infirmitatem, sine dubio casurum, quanto nos id majori ratione affirmare possumus de homine infideli, et qui solis nitatur viribus naturæ per peccatum corruptæ et vitiatæ.

#### CAPUT VI.

*Solvuntur argumenta contra ea, quæ capite superiore dicta sunt.*

Sed adversus ea, quæ dicta sunt, objiciunt adversarii primo, verba illa Mosis Deuteronom. xxx. « Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, non supra te est, neque procul positum etc. » Ubi per mandatum intelligit, per figuram intellectionis, totam legem naturalem, hoc est, decalogum, quem in eo lib. repetiverat.

Respondeo: hic locus duobus modis exponi potest primo, cum August. in lib. de perfectione justitiæ, prope extremo, ut sensus sit, legem Domini non esse supra vires hominum, non quorumlibet, sed eorum, qui per gratiam sanati sunt ab amore proprio, Deumque toto corde diligunt. Dixerat enim paulo ante idem Moses, promittens gratiam testamenti novi: *Circumcidet Dominus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua* (1).

Secundo, dici potest cum Abulen. Episcopo, et aliis nonnullis in comment. ejus loci. Mosem non loqui de facilitate observandæ legis, sed de facilitate cognoscendæ. Quæ expositio videtur maxime litteralis et propria. Quoniam enim ante datam legem potuissent

(1) Dent. XXX, 11.

Judæi prætexere ignorantiam, si non fecissent, quæ Deus ab illis fieri volebat: ideoque Moses posteaquam totam legem illis exposuit, admonet eosdem, ut legem impleant, neque illo modo ignorantiam obtendant, ait igitur: *Mandatum hoc non supra te est, neque procul positum*, id est, non est in loco alto vel longinquo, ut illud cognoscere non valeas.

Deinde explicat utrumque, et de loco sublimi ait: « Non est in cælo situm, ut possis dicere, quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atque opere compleamus? » De longinquo ait: « neque trans mare positum est, ut causeris et dicas, quis e nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre, ut possumus audire et facere quod præceptum est? » tum demum concludit, « sed juxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum, » id est, lex quam tibi servandam propono, non est supra cælum, neque ultra mare, sed proxima tibi omnino. Nam est in corde tuo, quoniam illam jam audivisti, et didicisti, et in ore tuo, quia tu illam accepisse et didicisse testatus es, cum dixeris, omnia, quæ præcepit nobis Dominus, faciemus.

Et confirmatur hæc expositio ex Apostolo ad Roman. x. alludens enim B. Paulus ad hunc locum Deuteronomii sic loquitur: « Quæ, inquit, ex fide est justitia, sic dicit, ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cælum, id est, Christum deducere? aut quis descendet in abyssum, id est, Christum a mortuis revocare? sed quid dicit? prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo, hoc est, verbum fidei, quod prædicamus; quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. » Ubi vult Apostolus ostendere, quemadmodum Judæis tempore Mosis, non erat opus, in cælum conscendere, vel trans mare proficisci, ut legem haberent et intelligerent, cum Mosem ipsum coram prædicantem et exponentem sententiam legis haberent: sic etiam iisdem Judæis, tempore Apostolorum, opus non fuisse in cælum ascendere, aut in infernum descendere, ut Christi incarnationem et resurrectionem haberent et intelligerent, cum ista palam ab Apostolis prædicarentur, sed satis fuisse, si corde credere et ore confiteri voluissent.

(1) Eccl. XV, 16. — (2) Rom. II, 14.

Secundo, objiciunt illud Ecclesiastici xv. *Si volueris mandata servare, conservabunt te* (1).

Respondeo: Ad hunc locum, et alios similes respondet S. August. in lib. de perfectione Justitiæ, prope extremo, et lib. de gratia et libero arbitrio cap. 15. et 16. in his locis demonstrari liberum arbitrium, per quod præcepta implenda sunt, sed non excludi gratiam Dei, sine qua impleri non possunt. Quemadmodum in aliis multis locis, quæ istis contraria esse videntur, gratia demonstratur, sed liberum arbitrium non excluditur.

Tertio, objiciunt illud ad Rom. II. *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt* (2). Sanctus enim Joan. Chrysost. in comment. hujus loci scribit, omnia quæ legis sunt, implese Gentiles.

Respondeo, jam supra diximus, ex loco Apostoli solum colligi, naturaliter impleri posse aliquod mandatum legis naturalis, non tamen omnia. Ad comment. Chrysostomi respondeo, Gentiles implese omnia quæ legis sunt, id est, omnia, quæ ad unam aliquam legem pertinent, ita ut in ea lege servanda nihil peccaverint, non tamen servasse omnes leges, præsertim longo tempore.

Quarto, ita objiciunt: Præcepta legis naturæ ideo naturalia dicuntur, quia proportionem habent ad vires naturæ, igitur naturæ viribus servari possunt. Neque satisfaciet, si quis dixerit, naturam non esse sanam, sed infirmam: nam infirma natura videtur posse omnia, quæ potest sana, sed non æque facile, alioqui non tam infirma, quam extincta dicenda esset. Præterea natura humana dicitur infirma, si comparetur ad sanitatem justitiæ originalis, in qua condita fuit: nam absolute non est minus sana, quam esset, si in puris naturalibus crearetur. Haberet autem homo, in puris naturalibus conditus, vires ad servanda præcepta naturalia; igitur et nunc habet.

Respondeo, Natura humana non solum infirma est, quia caret sanitate justitiæ originalis, sed etiam quia ex conditione materiæ, ut alibi demonstravimus, infernum et naturalem morbum habet concupiscentiæ carnalis, quem non habuisset, si in originali justitia permansisset; habuisset tamen, si in puris naturalibus condita fuisset. Natura autem infirma potest quidem omnia, quæ posset sana, sed non sola; eget enim auxilio,

quo non egeret, si sana esset. Quo modo corporaliter ægrotus, potest iter facere, sed in equo, vel certe cum baculo, cum alioqui sanus idem iter pedibus et sine baculo conficisset. Itaque si homo in puris naturalibus consideretur, quoniam etiam tunc infirmus esset propter morbum, ex conditione materiæ promanantem, non haberet vires, quibus sine adjutorio Dei posset omnia mandata servare; sed tamen vel auxilium non defuisset, vel homo non sua culpa aliquando cecidisset, ut Augustinus docet libro de correptione et gratia cap. 11.

Quinto, obijciunt testimonia Patrum, qui dicunt, Deum non præcipere impossibilia; ex quibus testimoniis illud sequitur, ut quæ præcipiuntur homini, quovis auxilio destituito, ea sint illi possibilia; præcipiuntur autem omni homini præcepta naturalia, igitur illa sunt omni homini possibilia.

Respondeo, Deus numquam præcipit impossibilia, quia semper promptus est ad juvandum: « Juste (inquit S. Leo serm. 16. de passione Domini) instat præcepto, qui præcurrit auxilio, » sed de hac re fuse disputavimus in secundo libro, ubi tractavimus questionem illam; utrum detur omnibus auxilium sufficiens.

Sexto, obijciunt hanc rationem. Potest homo suis viribus servare aliquod unum præceptum morale, juxta illud ad Rom. II. *Cum gestes, quæ legem non habent, ea quæ legis sunt faciunt, etc.* (1). Igitur potest servare omnia. Non enim occurrunt multa præcepta simul servanda, sed unum post aliud. Rursus potest aliquis servare omnia mandata ad breve tempus, ut supra nos diximus, igitur poterit etiam ad longum tempus, quoniam servando præcepta acquiritur habitus obediendi, et facilius continuatur, quam inchoatur opus.

Respondeo, nihil hoc argumentum valet, multis de causis. Primum, quoniam non sunt omnia præcepta paria. Sed alia aliis graviora, et ideo non sequitur, ut possit omnia servare, qui unum aliquod servare potest. Deinde, occurrunt aliquando plura simul, ut si quis dum orationi, aut divinis laudibus operam dat, illiciat, diabolo suggerente, ad consensum noxiæ cogitationis, vel occasionem habeat clam aliquid subripiendi; facilius autem est unum peccatum vitare, quam multa, et unum præceptum,

(1) Rom. II, 14.

quam multa servare. Præterea, tametsi ab una parte facilius sit opus continuare, quam inchoare; tamen ab altera, cum in opere laboratur, vires paulatim deficiunt, et facilius est brevi tempore, quam longo in opere perdurare. Itaque sicut non recte colliges, si dicas, potest homo ægrotus ambulare suis viribus mille passibus, igitur poterit etiam duomillia; sic etiam non recte ratiocinantur, qui dicunt, potest homo in statu naturæ corruptæ, in quo requiritur perpetua vigilantia et præmeditatio ad bene agendum, parvo tempore observare omnia mandata, poterit igitur et longo tempore. Denique, parvo tempore ideo potest quis omnia mandata suis viribus observare, quia fieri potest, ut diximus, ut brevi illo spatio nullum occurrat præceptum affirmativum, et nulla tentatio contra negativita: quæ tamen in longo spatio non possunt non occurrere.

## CAPUT VII.

*Non posse solis naturæ viribus ullam veram tentationem superari.*

Alter illa propositio, quæ docebat, non posse solis naturæ viribus ullum mandatum servari, si tentatio urgeat; breviter explicanda est, ut facilius comprobetur.

Observandum est igitur primo, tribus modis posse vinci tentationem aliquam. Uno modo succumbendo alteri tentationi; ut cum quis ut auram popularem captet, et vir fortis aut continens habeatur, abstinere se a flagitio, ad quod alioqui non leviter stimulabatur. Sæpe enim (ut monet sanctus Gregorius homil. 12. in Ezechielem) uno tempore a pluribus hostibus oppugnamur, et dum unus a fronte se palam ostentat, alius a tergo clam insidiatur. Sed de hoc primo modo nulla quæstio esse potest; satis enim constat, posse hominem uni potius vitio, quam alteri cedere, vel, quod est verius, posse in eodem homine unum vitium ab alio majore superari: neque hoc est tentationem dejicere, sed a tentatione prosterni: « Carnalis enim cupiditas » (ut loquitur sanctus Augustinus lib. III. ad Bonifacium, contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4.) « cupiditate alia non sanatur ».

Altero modo potest tentatio ita vinci, ut non solum peccatum simpliciter evitetur, sed etiam ex victoria meritum acquiratur, quod fit, cum ex charitate Dei tentationi resistitur. De quo modo loqui videtur Apostolus, cum dicit in priore ad Corinthios c. X: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum* (1). Et S. Augustinus lib. XXI. de civit. Dei cap. 16. « Tunc, inquit, victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur ». De hoc modo non disserimus in præsentia, sed pro comperto sumimus (quod alio loco tractabimus) nullum opus pietatis sine adjutorio gratiæ fieri posse.

Tertio igitur modo tentatio vinci potest, ita ut nec peccatum ullum admittatur, nec tamen meritum comparetur; et de hoc solo modo in præsentia disputamus.

Observandum est secundo, Nos cum dicimus, nullam tentationem solis naturæ viribus vinci posse, loqui de vera tentatione, non de levissima aliqua titillatione, quæ nomen tentationis absolute et proprie non meretur. Præterea sciendum est, nos non semper requirere ad vincendas tentationes, auxilium speciale, proprie dictum, hoc est, internam illustrationem vel motionem supernaturalem, sed quodcumque auxilium Dei, sive consistat in eo, quod Deus singulari providentia sua, removeat occasiones peccandi, sive in eo, quod non permittat diabolus sævire, quantum vellet, sive quodcumque alio modo Deus nos juvet. Multæ enim tentationes sunt, quæ per se non superant vires humanas; et tamen si Deus homines prorsus destituat, et diabolus sinat agere quantum potest, illæ fient gravissimæ et intolerabiles; tanta est humana fragilitas ad resistendum, et diabolica potentia ad nocendum.

Atque hinc fortasse conciliari possunt auctores, qui dicunt nullam tentationem sine auxilio Dei vinci posse, cum iis, qui dicunt, aliquas posse. Nam ii posteriores loquuntur de auxilio supernaturali, et considerant mensuram virium humanarum, in comparatione ad levem aliquam tentationem absolute sumptam: priores autem per auxilium Dei accipiunt quæcumque singularem Dei providentiam, quæ sæpe utitur rebus naturalibus ad ea, quæ fieri cupit, perficienda: et vires

humanas considerant per comparationem ad tentationem, non qualis est per se, sed qualis esset, si Deus permitteret, et non juvaret, aut vires nobis addendo, aut adversariis subtrahendo. Sed quamquam uterque modus dicendi, bonum sensum habere possit, tamen magis consentaneæ ad Scripturas et Patres loquuntur, qui dicunt, nullam tentationem sine Dei auxilio vinci posse.

Quod quidem probatur primum ex Scripturis; nam locus ille Sap. VIII. *Nemo potest esse continens, nisi Deus det* (2): proprie ad vincendas tentationes pertinet. Neque enim difficile est continere, quando nulla tentatio ad peccandum invitat. Præterea verba illa B. Pauli I. ad Cor. X. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis* (3), satis aperte indicant, tentationes supra id, quod possumus, crescere posse, si Deus permittat.

His accedunt plurima testimonia Psalmorum, quæ victoriam in tentatione simpliciter Deo tribuunt. Psal. XXVII. *In te eripiar a tentatione.* Psal. XXVI. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Psal. XXIX. *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum: avertisti faciem tuam, et factus sum conturbatus.* Psalm. CXVII. *Impulsus eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me.* Illa quoque oratio. *Et ne nos inducas in tentationem.* Matth. VI. Et illa adhortatio: *Orate, ne intretis in tentationem* (4). Matth. XXVI. satis ostendunt, sine Dei adjutorio tentationibus resisti non posse.

Probatum secundo ex traditione Ecclesiastica, Synodus Palæstina apud Aug. in ep. 106. « Fateatur (Pelagius) quando contra tentationes, concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis et illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam ».

Synodus Milevitana in epist. ad Innocentium, quæ est apud Aug. 92. « Illud (inquit) ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum dicunt (Pelagiani) tamquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra esse positum potestate, et ad hoc implendum, solam sufficere voluntatem hominis ». Non dissimilia habet Synodus Carthaginiensis, in epistola ad eundem Innocentium, quæ est apud Augustinum epist. 90.

(1) I Corin. X, 13. — (2) Sap. VIII, 21. — (3) Corin. X, 13. — (4) Psal. XXVII, 30; ibid. XXVI, 9; ibid. XXIX, 7; ibid. CXVII, 13; Matth. VI, 13; ibid. XXVI, 41.

S. Innocentius I. in epist. ad Concilium Carthaginense, apud Augustinum epist. 91. « Nisi magnis precibus, inquit, gratia in nos implorata descendat, ne quicquam terrenæ labis, et mundani corporis vincere conamur errores, cum pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium. » Et infra: « Quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisiquenitatur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quò auxiliante vincimus, eodem rursus non adjuvante vincamur ». Idem in epistola ad Concilium Milevitanum, apud Augustinum 93. « Gratia, inquit, privatus, necesse est in diaboli laqueis irretitus occumbat ».

S. Zozimus Papa, Innocentii successor, in epistola, ejus meminit Celestinus in epist. ad Gallos, cap. 9: « Quod, inquit, tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? in omnibus igitur actibus, causisque, cogitationibus, motibus, adjutor et protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo, Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra Principes et potestates, etc ».

Sanctus Cœlestinus I. in epistola, jam citata ad Gallos cap. vi. « Nemo, inquit, etiam Baptismatis gratia renovatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, et ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit ».

S. Cyprianus in serm. 7. de oratione Dominica. « Quando, inquit, rogamus, ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe atque arroganter aliquid assumat ». Et infra: « ut dum præcedit humilis et submissa confessio, et datur totum Domino, quidquid suppliciter cum timore et honore Dei petitur, ipsius pietate præstat. »

S. Basilius in lib. *Moralium summarum*, Summa 62. cap. 3. « Oportet, inquit, ad tempus ab insidiantibus discedere: ubi tamen quis permissus est, in tentationem incidere, eventum ut sufferre possit, et voluntatem Dei per orationem petere ».

S. Joannes Chrysostomus homil. 24. in priorem ad Corinth. « Sunt, inquit, tentationes, quas sufferre non possumus, et quænam sunt illæ? omnes, ut ita dicam: possibilitas enim in divino nutu est, quam nostra

allicimus voluntate. Quare ut certo cognoscas, non solum illas, quæ virtutem nostram exuperant, non posse sine divino auxilio facile sustinere, sed ne has quidem humanas, addidit, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Et quidnam hoc significat? neque enim mediocres illas, quod dixi, inquit, propria virtute sufferemus, sed hic quoque divino indigemus auxilio, ut eas vel effugiamus, vel certe perferamus ».

Auctor operis imperfecti in Matthæum, hom. 37. « Sicut navis, inquit, fracto gubernaculo, illuc ducitur, quo tempestas voluerit, sic et homo divinæ gratiæ auxilio perduto per peccatum, agit non quod vult, sed quod diabolus vult ».

S. Ambrosius in Psalm. xxxiii. explicans illud: « Hæc omnia venerunt super nos, nec oblitus sumus te. Quis, inquit, est tam fortis, ut nequaquam in tentationem moveatur, nisi Dominus ei adjutor assistat. »

Sanctus Hieronymus lib. ii. adversus Pelagianos, citat illa verba Domini, Matth. xxvi. *Surgite vigilate et orate, ne intretis in tentationem*. Et continuo subjungit « Debuisset dicere, juxta vos, Surgite et resistite. Liberum enim habetis arbitrium et semel vobis concessa a Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio. » Idem initio lib. iii. « Nostra, inquit, victoria et corona victoriæ, illius protectione et clipeo paratur ».

Sanctus Augustinus in libro de perfectione justitiæ, extremo: « Quisquis, inquit, negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem, negat autem hoc, qui contendit, ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem, ab auribus omnium removendum, et ore omnium anathematizandum esse non dubito.

Idem in libro de gratia Christi, cap. 27. « In libro, inquit, ad virginem sacram, cum dicit (Pelagius) divinam mereamur gratiam, facilius nequam spiritui, Sancti Spiritus auxilio resistamus: Significat profecto quid sapiat. Ut quid enim hoc verbum interposuit, id est, facilius? an vero non erat integer sensus, ut nequam spiritui, sancti Spiritus auxilio resistamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? volens utique credi tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam sine auxilio Spiritus sancti, et si minus facile, tamen aliquo modo nequam spiritui resistatur ».

Sanctus Gregorius lib. ix. *Moralium*, cap. 37. « Qui apte, inquit, reduci in pulverem dicitur, quia dimissus sibi, cujuslibet tentationis aura raptatur ». Idem in Psalmum tertium penitentialem, explicans illud: « Ne derelinquas me Domine Deus meus. Illos, inquit, procul dubio Dominus relinquit, quibus constantiam in tribulatione non tribuit. Necessario enim sequitur, ut omni tentationi sit subditus, quicumque a Deo fuerit derelictus ».

Sanctus Prosper in libro adversus collatorem, cap. 33. tractans locum de tentationibus sancti Job, ostendit, totam illam sancti viri victoriam ex Dei auxilio et gratia partam, et inter alia sic loquitur: « Quisquis igitur in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari, ad quem quotidie corda universorum fidelium clamant, ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo ».

Accedat postremo Ecclesiæ consuetudo, quæ inter quotidianas preces nihil magis frequentat, quam illud: Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina ». Et in oratione, quæ legitur ad horam orationis primam, protectionem Dei contra tentationes invocans, dicit: « Tua nos hodie salva virtute, ut ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera, per Christum Dominum nostrum ».

## CAPUT VIII.

*Solvuntur argumenta contra propositionem capitis septimi.*

Argumenta Pelagianorum pauca sunt, nec difficilia. Objiciunt primo testimonium S. Hieronymi, ex lib. ii. in Jovinianum: « Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, neque damnatio, neque corona est ». Respondet sanctus Augustinus in lib. de natura et gratia cap. 63. sanctum Hieronymum loqui de natura, qualis fuit a Deo condita, non qualis nunc est per peccatum vitata. Nunc enim quædam peccandi necessitas ad est ex vitio, non ex

conditione naturæ. A qua necessitate liberari petimus, cum dicimus, « De necessitatibus meis erue me ».

Posset etiam responderi, si concedamus, S. Hieronymum loqui de natura, qualis nunc est, non necessitate trahi nos ad vitia, quoniam etiamsi per nos resistere tentationibus non valeamus, valemus tamen cum adjutorio Dei, quod semper in promptu est, juxta illud ejusdem Hieronymi in epistola ad Cyprianum: « Qui sustinet tempestatem, vel petra, vel tecti quærit refugium; quem hostis persequitur, ad muros urbium confugit: ita et homo a principio conditionis suæ Deo utitur adjutore, et cum illius sit gratiæ, quod creatus est, illiusque misericordiæ, quod subsistit et vivit; nihil boni operis agere potest absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium, ut suam, per singula opera, gratiam non negaret ».

Secundo objicitur, tentationes oriuntur ex concupiscentia carnis, dicente Jacobo in epistola sua, cap. ii: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* (1). Concupiscentiæ vero rationalis animus naturaliter dominatur, juxta illud Genes. iv. *Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius* (2). Igitur potest homo naturæ viribus, tentationi non cedere.

Respondeo: natura humana ita constituta est, ut naturaliter pars inferior apta sit obedire superiori, et superior imperare inferiori: tamen potest etiam inferior reluctari superiori, et eam non quidem dominando, sed alliciendo et blandiendo ad se pertrahere. Quocirca Philosophi recte dicunt, rationem imperare appetitui inferiori, non despotico imperio, quomodo imperat dominus servo, sed politico, quomodo magistratus imperat populo, qui excitat non raro seditiones et rectoribus suis obedire detrectat.

Quamvis autem ex natura rei contingere deberet, ut aliquando quidem pars inferior dejiceret superiorem, sed ut plurimum inferiorem superior in officio confineret, et licet invitam, et reluctantem coerceret: tamen contra accidit, Quatuor de causis. Primum, quia pars inferior multis annis viget, antequam superior evigilare incipiat: inde enim fit, ut sensus assuetus per tot annos sine imperio rationis ferri in sua objecta, difficulter postea jugum rationis ferre possit. Deinde, quia sensus bona sunt præsentia, rationis

(1) Jacob. I, 14. — (2) Gen. IV, 7.